

Ad impotentiam conjugalem per fascinum inductam
 superstitiosa & magica remedia habentur plura,
 quae nullam ex sui natura sanandi virtutem habent,
 vel ἐξ ἑαυτῶν propriam obtinent. Guil. Varignana,
 Nicolaus & Arnoldus de Villa Nova, Petrus Argelaus
 & Antonius Mizaldus, referente Wolfio Lect. Memo-
 rab. Cent. 11. pag. 278. certissimum remedium esse
 docent, si quis aliquo veneficio impotens ad usum
 Veneris factus fuerit, ut quam primum mingat per
annulum conjugalem, tunc ei extemplo amissam re-
 dire virtutem. Bodinus libr. 3. cap. 5. remedium
 hoc, cum nuptiae annulus ad nodationem solvendam
 accipitur, quomodo usurpetur, horret dicere, idem-
 que inter res illicitas refert, ut & Delrius libr.
 3. P. 2. Q. 4. Sect. 7. Dn. D. Geierus, de Superstit.
 cap. 4. ac Freudius, Quaest. 237. n. 9. Paracelsus
 tale tradit remedium, quibusdam, monstrosus cha-
 racteribus & barbaris nominibus, in membrana nova
 descriptis. Verba haec sunt, AVIGAZIRTOR
καλιχ*ωφιλι, cum hisce characteribus, ΩCΛAI.
 Jubet autem describere ante Solis ortum, & chartam
 singulis diebus per novem continuos dies quotidie
 renovare, & retuso praeputio glandi alligare, eas-
 que chartas tandem jubet colligere, & in cinerem
adurere &c. cineremque cum haustulo vini impoten-
tia laboranti propinare. Addit praeterea: Si ex
 ferreo calceo equi, Gabatam quidam vocant, Huff-
eisen/ fortuito in itinere invento tridens sive
furca die Dominico ante Solis ortum fabricetur,
 & in singulos dentes, characteres & vocabula quae-
 dam barbara insculpantur, & tridens in fluvium
 infigatur, maleficium seu impotentia a patiente
 aufertur, & in autorem revertitur, Gödelmannus
 libr. 1. de Lam. c. 8. n. 53.

* Aridens = Dreizack der Fischer

furca = Gabel, zweizinkige

Urin

2' zettel

Verbrennen

2' Frank

Verjagen
im Wasser